



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Patrocinium Defvntorvm

Hautin, Jacques
Leodii, M.DC.LXV.

Articulus I. Exponitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79679](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79679)

CAPVT TERTIVM.

De eleemosynæ virtute satisfaciendi
pro defunctis.

ARTICULUS I.

Exponitur.

887.
Ex Scrip-
tura.

Nihil est Cypriano teste. l. de opere, & eleemosynis, quod sacra Evangelia frequentius præcipiant, quàm ut Christiani stipi largiendæ, atque adeo cœlestibus thesauris cumulandis, incumbant. Addere possum vix quidquam esse, quod in veteri instrumento crebrius impensiusque commendetur, quàm idem genus misericordiæ. Cujus ratio multiplex est, quemadmodum & multiplex illius fructus. Sed nos unicum jam sectamur satisfactionis. Porro nec ille obscurus cuiquam esse potest. Nam Tobix sic Angelus c. 12. *Eleemosyna, inquit, morte liberat, & ipsa est, quæ purgat peccata, & facit invenire misericordiam.* Et ipsemet Tobias c. 4. *Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.* Et ante illum Sapiens. *Per misericordiam, ait, Prov. 15. & per fidem purgantur peccata, nempe venialia, & ipsa simul cum suis, nec non mortalium reliquiis, seu penis utrisque debitis condonantur.*

888. Id porro ut altiùs mentibus nostris insideat, varia similitudine illustrat Spiritus Sanctus. Celebris eleemosynæ cum aqua, quam profert Siracides cap. 3. hisce verbis, *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis*: quasi dicat, sicut aqua ignem, sic eleemosyna restinguit peccata, ubi innuit & ipsa igni esse similia. Nam quemadmodum ignis corpus urendo lædit, sic animam peccata. Quemadmodum ille flammæ, sic peccata excitant praværum æstus affectionum. Quemadmodum ignis ignem accendit, sic peccati ignis ignem stygis, aut Purgatorii. Cùm igitur hos ignes, & tertium nominatim largitio stipis extinguat, meritò aquæ adæquatur. Est

autem alia eleemosynæ cum aquâ similitudo, & huc quadrat: quod sicut hæc semper ad inferiora defluit, nec nisi vi hæret alibi, ita illa ad infima mundi, id est ad Purgatorium manat, nec quiescit donec ignem illius vel mitiget, vel extinguat. Quamobrem rectè aliàs, idque apud Salomonem Prov. 10. eadem eleemosyna *fons vitæ* dicitur, ubi enim sic legimus: *Vena vitæ os iusti*, Arabicus ita vertit, *Fons vitæ in manu iusti*, quia ex illâ (quam utique largam esse oportet, si revera justus est) aquæ vivæ profluunt, quæ piis manibus eas ad se derivatas excipientibus, primùm adimunt calorem ignis lustralis, tum eos ad eum sustollunt, qui & ipse verus est fons vitæ, vitæ beatæ, vitæ sempiternæ, cujus ubertate, & torrente voluptatis inebriantur.

889. Altera similitudo est cum captivorum lytro: unde hæc existunt Prov. 13. *Redemptio viri, divitiæ suæ.* Item 16. *Misericordia, & veritate redimitur iniquitas.* Item *Consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum*: Dan. 4. Est autem hujus lytri ac redemptionis admiranda ratio. Nam piorum animas, quas Christus sanguine suo pretiosissimo redemit, Christianus frusto panis, aut vili nummo redimere potest. Est igitur simile lytrum illi, quod Gaganus Avarum Rex in singula captivorum capita à Mauritio Imperatore exigebat: nam contentus erat duabus siliquis. Siliqua verò quædam ponderis minutia est, quatuor tritici grana pendens, ita profus, ut Christianorum capita pro nihilo reddere paratus esset. Et quid, quæso, est nummulus ad Purgatorii pœnas redimendas? sanè nihil. Verùm cùm per se nihil sit, tamen cùm primùm in egentium manus largitione venit, fit pretiosus, nempe quòd illæ manus æs in aurum, & aurum in pretiosissimas gemmas commutent; imò terrenam monetam in cœlestem. Et causâ in promptu est, quia, (quod sæpè diximus) Christus

Christus per pauperes stipem accipit, & manus eorum pro suis habet, quo fit, ut admisione sua pretium addat, & quidem pretium sanguinis sui. Non est igitur mirum, quod eleemosyna tali aucta pretio pios manes redimat: nec difficile jam intelligitur, quemadmodum hic in pauperes erogata defunctos in Purgatorio redimat, quoniam ipse, qui per illos eam accipit, Christus, ut hic misericordiae sedem, ita illic iustitiae habet.

890.
Similitudo
cum hostia.

Venio ad tertiam eleemosynae similitudinem, hanc enim Paulus disertè vocat *hostiam* Heb. 13. quando ait, *Benevolentiam, & communionis nolite oblivisci; talibus enim hostiis promeretur Deus.* Siracides quoque idem innuit hac gnome c. 7. *Datum brachiorum, & sacrificium sanctificationis offer, initia sanctorum, & pauperi porrige manum tuam, ut persciantur propitiatio, & benedictio tua: quasi dicat, inquit Rabanus, eleemosyna, quae datur pauperi est datum brachiorum, quia brachiis robustis & liberalibus confertur; eadem est sacrificium sanctificationis, quia in honorem Dei erogatur, & dantem sanctificat, vel ad sanctitatem disponit, ideòque vocatur initia sanctorum, quia initium sanctitatis & iustificationis.* Quibus adde propriè illi convenire, ut propitium reddat Numen, & peccata, eorumque poenas deleat. Idem insinuat Salomon Prov. 9. ubi sic habet: *Anima, quae benedixit impinguitur, cujus enim est benedicere nisi Sacerdotis? Sacris effatis subscribit Augustinus Hom. 29. ubi, sacrificium, inquit, Christiani est eleemosyna in pauperem: hinc enim fit Deus peccatis propitius; nisi autem peccatis Deus fiat propitius, quis remanebit, nisi reus ab iis peccatis, sine quibus vita ista non ducitur? mundantur homines per eleemosynas.* Sic ipse. Itaque qui largitur eleemosynam est Sacerdos; victima eleemosyna, altare manus istius Sacerdotis, quam ne dubites consecratam esse, Deus eam condidit ut aram, in qua vellet sibi à divitibus sacrificari. Denique immolatio, est stipis erogatio. Est autem hoc sacrificium propriè propitiatorium, quia, ejus proprium est crimina expiare. Ad eò verò Numini jucundum accidit, ut per Sapientem Prov. c. 16. dicat. *Initium viae bonae, facere iustitiam, accepta est autem apud Deum magis, quàm immolare victimas.* Quem locum sic explicat noster Salazar, ut nomine iustitiae, *Misericordiam accipiat his verbis: Inter reliquas bene vivendi partes, principem locum obtinet misericordia erga pauperes & egenos, & ipsi Deo gratior accidit, quàm hostia, ac*

victima. Quod satis patet ex eo ejus per Oseam effato, *Misericordiam volo, & non sacrificium.* Osee c. 6. Porro dum ad piorum manum levamen ejusmodi victimae libantur, tum maximè Deus iis pascitur, sive quia & ipsi manes Sacerdotes eorum sunt, quippe qui etiam illas offerant, sive quia & eorum corda sunt altaria, in quibus offerunt, ac propterea idem misericors Pater proniùs iis ignoscit.

891.

Neque tantùm sacrificiis antiquae legis eleemosyna Numini est acceptior, sed & jejuniatio potentior ad satisfaciendum. Observe id de Lugo tractatu de poenitentia, affirmatque receptum esse communi consensu Theologorum & ratio adferri potest, quòd hæc misericordiae, & charitatis actus sit, illud temperantiae aut patientiae, quae virtus procul dubio charitati primas concedit. Adde fortitudinem exigi ad benefaciendum. Quare Siracides beneficium ac liberalem dicit *manu prævalere.* Qui prævalet manu, inquit, servat mandata, quia videlicet beneficentia validum, & heroicum ostendit dantis animum; & verò talem requirit ad superandum amorem proprium, id est tenacitatem, & avaritiam, quae quisque propendet, ut sua retineat. Quapropter cum & charitatis, & misericordiae, & fortitudinis virtus ad stipem pauperibus erogandam necessaria sit, non est admodum mirandum eleemosynam ad satisfaciendum esse efficacissimam.

Eleemosyna est efficacior jejuniatio.

892.

Id quod Sancti Patres satis exprimunt, cum eam baptismum alterum nuncupant. Audi Ambrosium Serm. 31. & Maximum Episcopum Serm. 2. de eleemosynis: *Mundus sancte eleemosyna quàm puteus detergit maculas, quia putei aqua, tantùm corporis cutem abluat, misericordia autem bonitas animae interna purificat.* Er sub finem: *Ita igitur eleemosyna extinguit peccata, sicut aqua baptismi gehenna extinguit incendium.* Ergo eleemosyna quodammodo animarum aliud est lavacrum, ut si quis fortè post baptismum humana fragilitate deliquerit; superstiti ei, ut iterum eleemosynis emundetur; sicut ait Dominus, *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Audi & Leonem magnum Serm. 2. de Collectis, scientes præter illud regenerationis lavacrum, in quo universorum abluta sunt macula peccatorum, hoc remedium infirmitati humanae divinitus esse donatum, ut si quid culparum in hac terrena habitatione contrahitur, eleemosynis deleatur. Eleemosynae enim opera charitatis sunt, & scimus quod charitas operit multitudinem peccatorum. Ita Leo.

Eleemosyna baptismus à SS. PP.

00

Quin

893.
Et potior
Baptismo.

Quin etiam Ambrosius loco præcitato, eleemosynam Baptismo aliquo respectu præfert. *Salva fide dixerim, inquit, indulgentior est eleemosyna, quam lavacrum; lavacrum enim semel datur, & semel veniam pollicetur, eleemosynam autem quoties feceris, toties veniam promereris.* Hi ergo duo misericordiarum fontes sunt, qui & vitam tribuunt, & peccata condonant: *Qui utrumque custodierit, Regni cælestis honore ditabitur. Qui autem maculato fonte uno ad misericordiam se fluentia contulerit, & ipse misericordiam consequetur.* Mitto Hieronymum, aliosque Patres idem sentientes, & concludo eleemosynam, etiam ad pios manes liberandos cæteris paribus jejunio potentior, certè quidem perquam efficacem esse. Quare à permultis defunctorum Amatoribus in eorum gratiam frequentatur. De quibus jam dicendum.

ARTICULUS II.

De foundationibus in gratiam piorum manuum.

§. I.

An præstet totam eleemosynam statim egentibus largiri in gratias defunctorum, quàm ex ea Xenodochium, aut orphanotrophium fundare, aliterque in censum dare ad usum pauperum?

894.
Si certa
animæ ad-
esse velu-
torum sta-
tim distri-
buc.

V TILIS est ea quæstio, & instituto meo accommodata; pendet enim ex illius decisione magnum piorum manuum emolumentum. Est autem ad eam decidendam opus distinctione. Etenim vel largitor eleemosynæ fertur ad eam largiendam studio certam aliquam animam adjuvandi, vel toti Purgatorio in commune auxiliandi. Si prius posueris, aîo præstare stipem simul ac statim totam in manus pauperum distribuere, quàm eam in pensionem annuam dare, sive ad Xenodochium, sive ad orphanotrophium, sive ad aliud pauperum receptaculum. Nam cum simul ac statim egentibus totam stipem largitis, & dominium pecuniæ, & usum ejus totius illis tradis, atque adeo pluribus egentibus eam tribuis, vel certè eos, quibus tribuis, grati animi vinculo ad plures & ferventiores preces obligas. Et consequenter anima illa plus subsidii ex tuâ stipe accipit,

quàm si eam in annuam pensionem occupares: quandoquidem eo pacto dominium quidem totum pecuniæ, sed non usus ejus totius, at quinta dumtaxat, sextatue portio in manus pauperum venit, idque post anni curriculum, quod ah! nimis longum est in igne isto, summaque tristitia versantibus.

Sin autem toti Purgatorio, sive animabus in commune, subsidium ac solatium ferre desideras, existimo satius esse ex tuâ pecuniâ creare redditum annuum, aut xenodochium, aliudue pauperum domicilium condere. Causa est, quòd ea hypothesi crescit fructus pecuniæ, atque in perpetuum porrigitur, ex eaque quidam fundus existit, unde animæ perenniter adjuvantur.

Quare si quis animæ suæ, vel alterius bene vult, simul, ac statim à morte, vel potius ante mortem totam suam stipem distribui curet. Ac prius quidem propter rationem allatam: posterius verò propterea quòd longè difficilior sit, rem tuam, dum adhuc ea indigere potes, largiri, quàm ejus largitionem in tempus mortem secururum differre; quando non tam tu pecuniam, quàm ipsa te relinquit. Adde eleemosynam, aliaque opera pia dum post obitum perficiuntur, nullam mortuo novam satisfactionem addere; quòd eo tempore donator non sit in eo statu, quo possit satisfacere. Quatenus igitur ab ipso manare censentur, pro eo facere satis nequeunt. Concesserim tamen cum Lugone prodesse illi posse impetrando, quia pauperes, aliaque eleemosynæ participes ejus gratiâ preces fundent. Addit idem Author ipsamet opera, & subsidium pauperibus exhibitum multum valere ad movendam Numinis clementiam, ut animæ defuncti misereatur, precesque pro eo fufas pronus admittat. Quod posterius dubitanter sanè pronunciem: Quoniam opus externum, prout omnino præcisum ab opere interno voluntatis, uti nihil libertatis, ita nihil laudis fortiri potest: quid igitur habet, cur valeat ad misericordiam Numinis provocandam? quid ad extremam calamitatem depellendam?

Libentiùs itaque iero in alteram ejus sententiam, parum admodum referre sive hæres sit in gratia, sive non, quando largitur legatam à defuncto eleemosynam; cum nomine suo illam non largiatur, sique velut merum instrumentum, per quod à defuncto eleemosyna ad egentes pervenit. Illud in dandâ pauperibus stipe singulariter observandum duxerim, bonos potissimum eâ esse impertiendos, quoniam & promptiores sunt ad precandum pro piis manibus,

895.

Sitoti purgatorio, da in censum.

896.

Tibi provi-
de ante
mortem.

897.

Non referè
an execu-
tor sit in
gratia.